

rius, nec non Thronus ipse jam antea credo insula de-  
cesserat. Is non solum mœnia valide tutatus est, sed cum  
lecta hominum manu eruptione facta, hostes fudit, ac  
multa cæde ad naves fugavit: bellicis operibus amissis cum  
ignominia Andronicus inde naves abduxit. Hac præcipue  
causa impulsos Genuenses ad opes Venetas evertendas,  
quia per se id consequi non poterant, fœdus cum Lodo-  
vico Pannoniæ Rege, Francisco Carrario, & Aquilejensi  
Antistite percussisse ferunt.

*Socii Genu-  
ensem.*

At Patres, quum bellum specie & re atrocissimum jam  
aperte sibi imminere cernerent, confestim viginti trire-  
mium classem decrevere: Victorem Pisanum illis cum Im-  
perio maris præficiunt, cui Pantaleon Barbus, & Lodo-  
vicus Lauretanus legati dati sunt. Ex omni navium nu-  
mero quatuordecim Venetiis, reliquæ Cretenſi remigio in-  
structæ; septimo Calendas Majas classis domo est edu-  
cta. Sed jussus est Victor nihil hostiliter agere, priusquam bel-  
lum Genuensibus esset indictum; ad quod ipsum ferunt  
Nicoletum, municipem Clodiensem, scribarum unum,  
Genuam missum. Classis sinu egressa, circumvectaque Si-  
ciliæ ora, Genuam versus abiit; quo cursu non pauca ho-  
stium navigia paucissimis diebus oppressit. Nec ita multo  
post quum totam Inferi maris oram infestam hosti reddi-  
disset, Lodovicus Fescius cum decem Ligusticis triremi-  
bus ad bellum instructis, ad eam ignominiam demendam  
in Venetum pugnandi studio movit. Erat tum Victor ad  
Antium in maritima Latii ora: qui, audito hostium ad-  
ventu, subito triremes ad pugnam instruit, suosque corpo-  
ra curare jubet, & ut ad primum classicum arma cape-  
rent, edicit; quum iterum signum daretur, remiges socii-  
que navales sua loca occuparent; tertio vero in hostes fe-  
rociter moverent. Et jam Ligur in conspectu erat, in  
quem, ut alto mari dimicaretur, continuo Venetus mo-  
vit. Vix ad manus ventum erat, quum subita tempestas  
cum pluvia coorta, ita repente omnia turbavit, ut, reli-  
quis averſis, novem tantum ex utraque classe triremes con-  
fluxerint; nullus ferme in tam subita rerum turbatione sa-  
gitta-

*Genuenses  
navali præ-  
lio victi.*